

Jurisprudence*

1. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura—Decree of the *Congresso*—May 30, 2014.

Prot. n. 48568/13 CA

*Exsecutionis sententiae H.S.T. diei
21 maii 2011*

(D.na N. et alii—Congregatio
pro Clericis)

DECRETUM

1. Die 27 aprilis 2007
Exc.mus Episcopus dioecesanus
statuit ecclesiam B in loco v.d.
W clausum iri a die 1 iulii 2007.
D.na N. et alii recursum hierarchi-
cum interposuerunt apud Congre-
gationem pro Clericis, quae die 5
augusti 2008 recursum reiecit. A
decreto Dicasterii recurrentes pro-
vocaverunt ad H.S.T., quod, per-
actis peragendis, die 21 maii 2011
sententiam pro recurrentibus tulit,

* The Latin texts and the unofficial English translations prepared by William L. Daniel are published with the permission of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura.

edicens “constare de violatione legis in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis diei 5 augusti 2008 quoad reductionem ecclesiae B ad usum profanum ob defectum causae gravis”.

2. Variis instantiis pro sententiae executione interpositis, tandem die 10 ianuarii 2012 Exc.mus Episcopus dioecesanus palam declaravit ecclesiam B, tamquam ecclesiam subsidiariam parociae A, locum sacrum manere et proinde interdum pro celebrationibus sacris adhibitum iri. Qua declaratione cum Congregatione pro Clericis communicata, idem Dicasterium recurrentibus die 3 februarii 2012 respondit sententiam H.S.T. in effectum deductam esse iuxta can. 1214 ideoque causam definitive conclusam esse.

Recurrentes dictam decisionem non impugnaverunt, sed interea primum coram Rev.do Parocho et dein coram Exc.mo Episcopo pro usu continuo ecclesiae flagitabant, reicientes etiam propositum Rev.di Parochi iuxta quod ecclesia B statutis diebus et horis fidelibus aperta esset pro oratione

(“that the building be an Oratory for prayer which would be open on certain weekdays for certain hours”) et insuper presbyteri parociae A in ea interdum cultum SS.mae Eucharistiae extra Missam atque pias exercitationes celebrarent.

Tandem die 29 martii 2012 recurrentes rem detulerunt Congregationi pro Clericis, quae, ignara propositi Rev.di Parochi a recurrentibus iam reiecti, litteris diei 11 aprilis 2012 Exc.mo Episcopo proposuit ut querimonia recurrentium placare conaretur per liberalitatem in re, verbi gratia “occasionally opening the sacred edifice for Eucharistic adoration or visitation”.

3. Postea ecclesia aliquando fidelibus aperta est pro celebrationibus liturgicis vel piis exercitiis. Recurrentes, haud placati, die 17 decembris 2012 causam introducere conati sunt coram Romana Rota, cuius Exc.mus Decanus decreto diei 1 iulii 2013 libellum reiecit ob incompetentiam, attento can. 1400, § 2. Tandem, ulterioribus dissensionibus exortis, die 27 octobris 2013 d.na N. et alii coram H.S.T. petitionem pro executione sententiae introduxerunt.

Auditis Congregatione pro Clericis et Exc.mo Episcopo dioecetano, Exc.mus H.S.T. Secretarius litteris diei 12 februarii 2014 opportunas explicationes et animadversiones recurrentibus transmisit, eos admonens de difficultatibus in casu habitis, salvo iure procedendi.

4. Instantia dein diei 14 martii 2014, recurrentes per Cl.mam Patronam A. Gullo et Cl.mum Advocatum C. Gullo petierunt ut Congressus H.S.T. statueret:

— Sententiam H.S.T. executioni mandandam esse, ea mente ut “la chiesa sia riaperta al culto ordinario con la celebrazione assidua di Sacramenti e Sacramentali”;

— Rev.dum Parochum et Exc.mum Episcopum ecclesiam B cum eius pertinentiis et suppellectilibus recte conservandam curare teneri;

— Exc.mum Episcopum ad damna moralia, spiritualia et materialia per defectum executionis fidelibus illata reparanda teneri;

— Exc.mum Episcopum teneri etiam ad damna ipsi ecclesiae B illata vel adhuc inferenda reparanda.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

5. Quoad usum ecclesiae in genere, praemisso quod:

— Ad normam can. 1214 ecclesia est “aedes sacra divino cultui destinata, ad quam fidelibus ius est adeundi ad divinum cultum praesertim publice exercendum”;

— iuxta iurisprudentiam H.S.T. etiam ecclesia subsidiaria pro cultu divino reapse adhibenda est, servatis servandis, sed spectat ad auctoritatem competentem, in primis parochum, frequentiam et formam exercitii cultus divini in ea pro discretionem moderari;

6. Circa conservationem ecclesiae in genere, considerato quod:

- Parochus vel rector providere debet non tantum ad munditiam et decorem ecclesiae (cf. cann. 1220, 562), sed etiam, tamquam administrator bonorum (cann. 532; 562; 1279, § 1) aedificium sacrum conservandum et tuendum aptis mediis curare (can. 1284, § 2, n. 1), sub vigilantia Episcopi dioecesani (can. 1276);
- Praedicta cura comprehendit non tantum ipsam ecclesiam eiusque suppellectilem et adnexa, sed etiam alia ad usum sacrum ecclesiae necessaria; utcumque haud liceret ut quis reductionem ecclesiae in usum profanum consulto provocare conaretur per negligentiam;
- Ad normam can. 212, § 2, christifidelibus integrum est assertam negligentiam vel etiam violationem intentionum oblatores deferre ad Ordinarium, cui ius et officium est interveniendi in casu negligentiae (cf. can. 1279, § 1), salvo iure recurrendi etiam ad Sanctam Sedem, ad normam iuris;

7. Ad petitam executionem sententiae H.S.T. diei 21 maii 2011 quod attinet, perspecto quod:

- Congregatio pro Clericis, ad quam spectabat executioni mandare sententiam H.S.T. diei 21 maii 2011 (cf. art. 92, § 1, *Legis propriae* H.S.T.), die 3 februarii 2012 statuit declarationem Exc.mi Episcopi consonam esse requisitis can. 1214 ideoque sententiam executioni mandatam esse;
- Si recurrentes censuissent Congregationem pro Clericis erravisse quia statuit sententiam executioni mandatam esse per usum ecclesiae B “for occasional services”, decisionis revocationem vel emendationem ab ipsa Congregatione petere potuissent vel eam coram H.S.T. impugnare, ad normam art. 94 *Legis propriae*, quod non fecerunt;
- Insuper, cum postea ecclesia B aliquando pro sacris celebrationibus de facto adhibita sit, etsi raro, nec declaratio Exc.mi Episcopi diei 10 ianuarii 2012 nec decisio Congregationis pro Clericis diei 3 februarii 2012 vacua apparet, uti contenditur;
- Sententia de facto executioni mandata est;

— Ulteriores quaestiones circa frequentiam et formam exercitii cultus divini in ecclesia necnon de eiusdem ecclesiae cura et conservatione pertractandae sunt ad normam iuris coram quo de iure;

8. Praetermissis ceteris forte animadvertendis;

Viso voto Rev.mi Promotoris Iustitiae deputati;

Vi art. 94 *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu die 30 maii 2014 coram infrascripto Praefecto habito,

decrevit:

Constare sententiam H.S.T. die 21 maii 2011 latam executioni mandatam esse.

Pro expensis retinetur cautio a partibus recurrentibus in arca H.S.T. deposita. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 30 maii 2014.

Raimundus Leo Card. BURKE
Praefectus

✠ FRANCISCUS DANIELS, o. praem.
Secretarius